

6. «Deiparam appellarunt Sancti Patres» vel divinissimum templum, vel immortalitatis thesaurum, vel unam et solam non mortis sed vite filiam, non iræ sed gratiæ germen, quod semper virgens ex corrupto inflectaque radice singulari Dei providentiâ præter stultas communisque leges effloruerit. Tu.

SABBATO

Ex Div. Bernardo Abbate. *Serm. 3. super Salve Regina.*
7 De hac «Sanctissima Deipara» et ob hanc et propter hanc omnis scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est, et hæc gratia Dei plena est, et per hanc homo redemptus est, Verbum Dei carofactum est, Deus humilis et homo sublimis. Tu.

II.

INFANTIA

B. MARLE V.

seu ab ejus Nativitate usque adejus Prægnationem, vel usque ad Adventum.

CANONES

In diebus infra Octavam Nativitatis que propriis non habuerint recitandi.

FERIA II.

Ex Alexandro Papâ Tertio. *Ep. 32 ad soldanum Iconii.* Concl. tom. 27 p. 283.

8. Quod Moysi ignis in rubo apparuit, et non est rubus corruptus igne, virginitalis integritas in MARIA monstratur. Tu.

FERIA III.

Ex Alexandro Papâ Tertio. *Et 32. ut supra.*

9. Quod virgins aliarum tribum remanentibus siccis, virga Aaron de cujus stirpe Beatissima traxit originem, frondit et floruit; flos in virgâ Jesse, quem vaticinavit

Isaias, partum scilicet in corruptæ Virginis indicavit. Tu.

FERIA IV.

Ex Alexandro Papâ Tertio. *Ep. 32. ut supra.*

10. Quod vellus Gedeonis, rore cæli completum est, cum area circumquaque arida remaneret, ros Spiritus Sancti dëssignatur in Virgine, quæ ad hoc propter humilitatem suam specialitèr et singularitèr est à Domino prælecta. Tu.

FERIA V.

Ex Divo Bernardo Abbate. *Hom. 2 super misis.*

11. In Isaiæ testimonio florem Filium, virgam intellige Matrem; quoniam et virga floruit absque germine, et virgo concepit non ex homine. Nec Virgæ virorem floris læsit emissio: nec Virginis pudorem sacri partus editio. Tu.

FERIA VI.

Ex Bonifacio Papâ Nono. *Cons. 1. Superu. benignit.*—1389. *Bull. Rom. Tom. 3. p. 2 p. 378.*

12. De clarâ stirpe regiâ Davidicâ prælegit. «Deus» Virginem, in cujus utero mystico spiramine Verbum ipsum carnem susciperet. perfectam Regnam... quæ tanto Regi digna fuit sui corporis thalamum preparare. Tu.

SABBATO.

Ex Divo Bernardo Abbate. *Super Miss. Homil. 2.*
13. Quod Moysi monstratum est in rubo et igne, Gedeoni in virgâ et flore, Gedeoni in vellere et rore, hoc apertè Salomon prævidit in forti muliere et ejus pretio, apertius Jeremias præcivit de feminâ et viro, apertissimè Isaias declaravit de Virgine et Deo, Gabriel tandem exhibuit ipsam salutando. Tu.

RESPONSORIA

dicenda post Lectiones, quæ tempore Infantie propria non habuerint tam in officio Dominicæ, quàm in feriâ. In I. Noct. Domin. et in II. et V. feriis Infantie.

1. O puella gratiâ aquanda nullis, * Mater et Virgo supra omnes Virgines, et maxima. 2. Quæ sola vineis colitum omnes ordines. —Mater et Virgo, repetitur usque ad 2. et sic in aliis 2.

2. 2. Una est columba mea, perfecta mea: * una est matri suæ, electa genitrici suæ. 2. Viderunt eam Filie Sion, et beatissimam prædicaverunt. —Una.

3. Revertere, revertere, Sullamitis: * Revertere, revertere, ut intueamur te. 2. Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es. —Revertere. —Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. —Revertere.

In II. Noctur. Dom. et in III. et VI. Feriis.

4. Diffusa est gratia in labiis tuis, * Propterea benedixit te Deus in æternum. 2. Mirra, et gutta, et casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filie regum in honore tuo. —Propterea.

5. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa * Dedi suavitatem odoris. 2. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi.

6. Specie tuâ et pulchritudine tuâ. * Intende, prosperè procede et regna. 2. Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam. —Intende. —Gloria. —Intende.

In III. Noct. Domin. et in Feriis IV. et Sabbat.

7. Dilixisti justitiam, et odisti iniquitatem; * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

8. Concupivit Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Propterea.

8. (Hoc 2. omittitur in Dom. et in oct. Lect. dicitur ejus loco 2. 9. ut infra.) Filie tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur * Omnes divites plebis.

9. Memores erunt nominis tui in omni generatione, et generationem. —Omnes.

9. Omnis gloria ejus filie regis ab intus, * In fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.

9. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. —In. —Gloria. —In.

LECTIONES

DE

SCRIPTURA.

Pro feriis temporis Infantie, et pro I. Noct. Festivitatum, que propriis non habuerint à die 1. Septembris usque ad adventum.

PRO FERIS II. INFANTIE.

De libro Proverbiorum.

LECTIO 1. c. 1. v. 1.

Parabolæ Salomonis, Filii David, regis Israel. Ad sciendam sapientiam, et disciplinam: ad intelligendam verba prudentiæ, et suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam et judicium, et æquitatem: ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia et intellectus. Audiens sapiens prudentior erit, et intelligens, gubernacula possidebit. Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum, et æigmata eorum. Tu autem, Domina nostra, intercede pro nobis. Sic semper concluduntur lectiones, et respondetur. 2. Deo gratias. 2. O puella. p. 65.

LECTIO 2.

Timor Domini, principium sapien-

tiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo. Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Tu. *¶* Una est. p. 65.

LECTIO 3. c. 15.

Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, et molliuntur fraudes contra animas suas. Sic semitæ omnis avari, animas possidentium rapiunt. Tu.

¶ Revertere. p. 51.

PRO FERIS III.

De libro Proverborum.

LECTIO 1. c. 1. v. 20.

Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens: Ustequod parvuli diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, et imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correctionem meam: in proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea. Tu. *¶* Diffusa est. p. 65.

LECTIO 2.

Quia vocavi et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitui vestro ridebo, et subsanabo, cum vobis, id quod timebatis, advenit. Cum irruerit repentina calamitas, et interitus, quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio, et angustia: tunc invocabunt me, et non exaudiam: manè

consurgent, et non invenient me. Tu. *¶* Sicut cedr. p. 65.

LECTIO 3.

Eo quod exomas habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquirerint consilio meo, et detraxerint universæ: corruptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur. Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos. Qui autem me audiverit, absque terrore requiescet, et abundantia perfuerit, timore malorum sublato. Tu. *¶* Specie tuâ. p. 65.

PRO FERIS IV.

De libro Proverborum.

LECTIO 1. c. 2. v. 1.

Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ: si quaesieris eam, quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam: tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenes. Tu. *¶* Dilexisti. p. 65.

LECTIO 2.

Quia Dominus dat sapientiam: et ex ore ejus prudentia et scientia. Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter, servans semitas justitiæ, et vias sanctorum custodiens. Tunc intelliges justitiam, et judicium, et æquitatem, et omnem semitam bonam. Tu. *¶* Filie Tyri. p. 65.

LECTIO 3.

Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia anime tuæ plauerit: consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris à viâ malâ, et ab homine, qui perversa loquitur. Ut ambules in viâ bonâ: et calles

justorum custodias. Qui enim recti sunt, habitabunt in terrâ, et simplices permanebunt in eâ. Impii verò de terrâ perdentur: et qui iniquè agunt, auferentur ex eâ. Tu. *¶* Omnis glor. p. 65.

PRO FERIS V.

De libro Proverborum.

LECTIO 1. c. 3. v. 1.

Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponet tibi. Misericordia et veritas te non deserant, circumda eas gulturi tuo, et describe in tabulis cordis tui: et invenes gratiam, et disciplinam bonam coram Deo et hominibus. Tu. *¶* O puella. p. 65.

LECTIO 2.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum: time Deum, et recede à malo: sanitas quippè erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum. Tu. *¶* Una est. p. 65.

LECTIO 3.

Honora Dominum de tuâ substantiâ, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei: et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt. Disciplinam Domini, fili mi, ne abicias: nec deficias cum ab eo corripis: quem enim diligit Dominus, corripit et quasi pater in filio complacet sibi. Tu. *¶* Revertere. p. 65.

PRO FERIS VI.

De libro Proverborum.

LECTIO 1. c. 3. v. 13.

Beatus homo, qui invenit sapientiam, et qui audivit prudentiâ: melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auri primi, et purissimi fructus ejus: pretiosior est cunctis

opibus: et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum in dexterâ ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloria. Tu. *¶* Diffusa. p. 65.

LECTIO 2.

Vitæ ejus vitæ pulchra, et omnes semite ejus pacificæ. Lignum vitæ est his, qui apprehenderit eam; et qui tenuerit eam beatus. Dominus sapientiâ fundavit terram, stabilivit celos prudentiâ. Sapientiâ illius eruperunt abyssi, et nubes rore concreverunt. Tu. *¶* Sicut p. 65.

LECTIO 3.

Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: custodi legem atque consilium: et erit vita anime tuæ, et gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in viâ tuâ, et pestus tuus non impinget. Si dormieris, non timebis: quiesces, et suavis erit somnus tuus. Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris. Tu. *¶* Specie p. 65.

IN SABBATIS.

De libro Proverborum.

LECTIO 1. c. 4. v. 4.

Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea et vives. Posside sapientiam, posside prudentiam: ne obliviscaris, neque declines à verbis oris mei. Ne dimittas eam et custodiet te: dilige eam et conservabit te. Principium sapientiæ, posside sapientiam, et in omni possessione tuâ acquire prudentiam. Tu. *¶* Dilix. p. 65.

LECTIO 2.

Arripe illam, ex exaltabit te: glorificaberis ab eâ, cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo angmenta gratiarum, et coronâ inelytâ proteget te. Audi, fili mi, et suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ. Tu. *¶* Filie Tyri. p. 65.

Viam sapientie monstrabo tibi, dum te per semitas aequitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum. Tene disciplinam, ne dimittat eam: custodi illam, quia ipsa est via tua. Tu. ꝯ. Omnis glor. p. 51.

CANONES

Ante Dominicam Primam Infantie, in Feriis, si quæ occurrant, et in diebus propriis non habentibus, recitandi.

II.

CONCEPTIO IMMACULATA.

1. In adversarios imm. Conceptionis.

FERIA II.

Ex Sixto Papâ Quarto. Const. Grave nimis. ann. 1483. Concil. tom. 34. p. 28.

14. Assertionem eorum, qui affirmare presumerent, eos qui crederent aut tenerent Dei Genitricem ab originali peccati maculâ in sua conceptione preservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut hujusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes alicujus peccati reatum incurrare: utpote falsas, et erroneas, et à veritate penitus alienas, editisque libris id continentibus, quo ad hoc auctoritate apostolica tenore præsentium reprobamus et damnamus. Tu.

FERIA III.

Ex Sixto Papâ Quarto.

Constitut. ut supra.

15. Auctoritate apostolica statuimus et ordinamus, quod... qui de cætero ausu temerario presumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu aliâs quomodolibet affirmare hujusmodi per nos improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris le-

gere, tenere, vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant. Tu.

FERIA IV.

Ex S. Pio Papâ Quinto. Const. 149. Si scandala an. 1370.

Bullar. T. 4. p. 3. p. 120.

16. Interdicimus et prohibemus, nequis post hæc vel in concionibus, vel in privatis disputationibus vel quovis alio modo... aliquem de Beatæ MARLE Conceptione à se dissentientem palam vel occultè reprehendere, irridere, aut ledere audeat, sed vel hæc de re omnino sileat, id quod sanè rectius et tutius fuerit, aut certè quod sibi probabilis videbitur eâ quâ decet modesti exponat, contrariam non improbando sententiam. Tu.

FERIA V.

Ex S. Pio Papâ Quinto. Const. 58. Super Specul. an. 1370. B. Rom. T. 4. p. 3. p. 138.

17. Statutum Sixti Quarti super immaculato Virginis conceptu, quod à Tridentinâ Synodo renovatum est (...) apostolicæ auctoritate tenore præsentium confirmamus et approbamus. Tu.

FERIA VI.

Ex S. Pio Papâ Quinto.

Const. ut supra.

18. Nemo, cujuscumque Ordinis gradus conditionis, vel dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel ubicumquè promiscua virorum et mulierum multitudine convenire solet, de Conceptionis Beatæ Virginis MARLE controversiâ alteratâ parte disputare... vel hæc de ipsâ questione... vulgaris sermone scribere vel dicere præsumat. Tu.

SABBATO.

Ex Paulo Papâ Quinto. Const. 263. Reg. pacifici. an. 1616.

Tom. V. p. 4. pag. 210.

19. Constitutiones Sixti et Pii Prædecessorum nostrorum de Conceptione Beatæ MARLE Virginis apostolicæ auctoritate tenore præsentium approbamus et confirmamus... et inviolabiliter ab omnibus observari præcipimus, donec à Romanâ apostolicâ sede hujusmodi controversia fuerit definita. Tu.

DOMINICÆ

TEMPORE INFANTIE.

Hæ Dominicæ incipiunt post octav. Nativit. B. V. usque ad ejus Prægnationem, Antiph. per annum.

DOMINICA I.

Senidupter 1. classis. Hæc Dom. 1. nunquam omittitur.

Omnia ut in Psalterio, cum Lectionibus, quæ sequuntur.

IN I. NOCT.

De libro Genesis.

LECTIO 1. c. 1. v. 1.

In principio creavit Deus cælum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi; et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem à tenebris. Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem. Tu. ꝯ. O puella. p. 65.

LECTIO 2.

Dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum cælum. Tu. ꝯ. Una est. p. 65.

LECTIO 3.

Dixit verò Deus: congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum

unum, et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum. Tu. ꝯ. Revert. p. 65.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis. Serm. 3. super Sabv. Regn. Inter ejus opera.

LECTIO 4.

Fiat, inquit, firmamentum, et dividat aquas ab aquis. Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu, Domina, quæ eum, quem cæli capere non poterant, cepisti, et concepsisti, potuisti, et non defecisti: genuisti, aluisti, pavisti, mammaisti et educasti. Tu in medio aquarum dividisti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorum ab affectibus temporalium. Tuam enim animam pertransivit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Tu. ꝯ. Diffusa. p. 65.

LECTIO 5.

Posuit in hoc firmamento Deus solem et lunam, Christum et Ecclesiam, et stellas, prærogativas gratiarum multas. Laudamus Dominum in sanctis ejus. Firmitas, robur, et constantia, et fortitudo mentis ejus, quia mundi contempsit gloriam, carnis calcavit illecebras. Virtus est Altissimi, de quâ scriptum est: et virtus Altissimi obumbravit tibi. Tu. ꝯ. Sicut cedr. p. 65.

LECTIO 6.

Non solum autem cælum, et firmamentum Domina rerum intelligitur; sed aliis nominibus convenienter appellatur, et rerum vocabulis designatur. Ipsa tabernaculum Dei, ipsa templum, ipsa domus, ipsa arca diluvi, arca testamenti, urna aurea: ipsa manna, virga Aaron, velus Gedeonis, porta Ezechielis. Et ut breviter concludam, de hæc et

ob hanc, et propter hanc omnis scriptura facta est: propter hanc totus mundus factus est, et hæc gratiâ Dei plena est, et per hanc homo redemptus est, Verbum Dei caro factum est: Deus humilis, et homo sublimis. Tu. ꝯ. Specie tuâ. p. 63.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. c. 4. v. 46.

In illo tempore: Erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur capharnaum. Et reliqua.

Homilia Beati Alberti Magni, Episcopi.

De laudibus B. M. V. libr. 11. c. 4.

MARIA est villa, et fuit designata per Capharnaum, quod interpretatur villa consolationis. Nam sicut Deus, et pater Domini nostri JESU Christi est Pater misericordie, et Deus totius consolationis, sicut et ipsa, non tamen sicutissimè, est mater misericordie et totius consolationis, quæ consolatur nos in omni tribulatione nostrâ. Tu. ꝯ. Dilexisti. p. 63.

LECTIO 8.

Interpretatur etiam Capharnaum villa pulchritudinis, vel villa pinquedinis. Expono, quomodo hæc villa sita est in monte virtutum, quia virtutes ejus excellent virtutes omnium sanctorum. Et habet hæc villa tria in se, quæ habent villæ sitæ in montibus, scilicet quod est mundissima, clarissima et sanissima. Tu. ꝯ. Omnis glor. p. 51.

LECTIO 9.

In hæc autem villâ habit Dominus, quasi duplicem villicum, scilicet JOSEPH et JESUM. JOSEPH unus villicus, cui desponsata est, ut custodiret eam, quod et legitime fecit. Alius villicus JESUS Filius ejus, qui optime custodivit eam, sicut Filius Matrem carissimam. Fue-

runt bona hujus villæ, conceptus virginalis salvo pudore, et partus sine dolore, hoc est sine læsione naturalium. Tu. Te Matrem Dei p. 5.

Ad Benedict. ant. Mater misericordie * et totius consolationis consoletur nos in omni tribulatione nostrâ.

Oremus.

Oratio.

Miserere, Domine, famulis tuis, et dirige actus eorum quotidie in bonum, ut omni tempore in servitio sanctissimæ Genitricis tuæ Virginis MARIE permanent. Qui vivis.

CANON.

Ex Decreto Sanctæ Congregationis Romanæ et universalis Inquisitionis. 31 Aug. 1617.—B. R.—Tom. V. p. 4. p. 234.

20. Sanctissimus Dominus noster Paulus Papa Quintus... præcipit omnibus et singulis... ut in posterum donec articulus Immaculate Conceptionis Beatæ MARIE Virginis à sanctæ sede apostolicæ fuerit definitus, non audeant in publicis concionibus, lectionibus conclusionibus et aliis quibuscumque actibus publicis asserere quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Tu.

Ad Magnif. ant. Respiremus * ad MARIAM, et reserabit nobis atria triumphantium.

CANONES

Infra Hebdomadam primam Infantivæ recitandi.

FERIA II.

Ex Decreto Sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis.

Sub Greg. XV. an. 1622.—B. Rom. T. V. p. V. pag. 43.

21. Sanctissimus Dominus noster... præcipit omnibus et singulis... ut in posterum, donec hujusmodi articulus à sanctæ sede apostolicæ fuerit definitus, vel per eam

aliter fuerit ordinatum, non audeant in ullis actibus publicis neque in sermonibus et scriptis privatis asserere, quod Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hæc opinione affirmativâ aliquo modo agere aut tractare. Tu.

FERIA III.

Ex Alexandro Papâ Septimo.

C. Solicitud. omn. Ecclesiar. an. 1661.—B. R. Tom. VI. p. V. p. 182.

22. Constitutiones et decreta à prædecessoribus nostris edita in favorem sententiæ asserentis animam Beatæ MARIE Virginis in sui creatione, et in corpus infusione, Spiritus Sancti gratiâ donatam, et à peccati originali præservatam fuisse, nec non et in favorem festi et cultus Conceptionis ejusdem Virginis Deiparæ, secundum istam piam sententiam exhibiti, innovamus, et sub censuris et pœnis in eisdem constitutionibus contentis observari mandamus. Tu.

FERIA IV.

2. Canones de Immaculata Virginis Conceptione.

Ex Concilio Tridentino. Sess. 5.—Die 17 Jun. 1546. Decr. de pecc. origin.

23. Declarat hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem MARIAM, Dei Genitricem: sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Pape quarti sub pœnis in eis constitutibus contentis, quas innovat. Tu.

FERIA V.

Ex Pio Papâ Nono Const. Inefabilis. Die 8. Dec. an. 1854.

24. Declaratione «Concilli» Tridentini Patres, ipsam Beatissimam

Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adjunctis satis inmerunt, atque adeo perspicue significarunt nihil ex divinis litteris, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate ritè afferri posse, quod tantæ Virginitatis prerogativæ quovis modo refragetur. Tu.

FERIA VI.

Ex S. Pio Papâ Quinto.

Const. 122. Consueverunt. an. 1569.—Bull. R. Tom. IV. p. 3. p. 77.

25. Germine suo tortuosus serpens caput «Virgo» obtrivit, et cunctas hæreses sola interemit, ac benedicto fructu ejus ventris munda primi Parentis lapsu damnatum salvavit. Tu.

SABBATO.

Ex Pio Papâ Nono.

Encycl. ad Patriarch. etc. Gaetæ 2 Febr. 1849.

26. Has vobis, venerabiles fratres, scribimus litteras, ut quisque vestrum in propriâ diœcesi publicas preces indicendas ac peragendas curet... ut in tanti momenti re illud consilium suscipere valeamus, quod ad majorem tum sancti nominis sui gloriam, tum beatissimæ Virginis laudem, tum militantis Ecclesiæ utilitatem possit pertinere. Tu.

DOMINICA II. INF.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Genesis.

LECT. 1. c. 2. v. 1.

Igitur perfecti sunt cœli, et terra, et omnis ornatu eorum, Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat. Et requievit die septimo ab omni opere quod pararat. Et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso

cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret. Tu. ꝑ. O puella. p. 65.

LECT. 2.

Istæ sunt generationes cæli et terræ, quando creata sunt in die quo fecit Dominus Deus cælum et terram: et omne virgultum agri, antequam oriretur in terrâ: omnemque herbam regionis priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat, qui operaretur terram. Tu. ꝑ. Una est. p. 65.

LECT. 3.

Sed fons ascendebat de terrâ, irrigans universam superficiem terræ. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vite, et factus est homo in animam viventem. Tu. ꝑ. Revertere. p. 65.

IN II. NOCT.

Sermo S. Augustini Episcopi.
Inter ejus opera.

LECTIO 4.

Grande nobis mysterium divina majestas in Adâ figurâ præmisit. Sicut enim Deus noster, cum primum Adâ facere vellet, non ex conjunctione viri ac mulieris hominem, ut esset, effect; sed accipiens terram, inde hominem divinâ quâdam arte formavit: ita sine viri conjunctione Deum in virginali alvo incorporari dispensavit. Ergo si tunc licuit hominem sine homine nasci, cur non licuit hominem sine homine per MARIAM Virginem procreari? Tu. ꝑ. Diffusa est. p. 65.

LECTIO 5.

Quoniam sicut Adâ ex terrâ virgine figuratus est; ita et Christum ex Virgine nasci agnoscitur. Ibi tunc status Dei de terrâ vivum hominem surgere fecit ad vitam; mundum Spiritus Sanctus de MA-

RIA Virgine Christum hominem figuravit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret. Adâ enim ibi tunc nascitur, hic renouatur et resuscitatur in Christo. Denique sicut tunc in alvo terræ Salvator Adâ membra composuit; sic etiâ nunc ex Virgini alvo Christus sua membra composuit. Tu. ꝑ. Sicut cedrus. p. 65.

LECTIO 6.

De Genesi cont. Manich.

Fons autem ascendebat de terrâ, et irrigabat omnem faciem terræ. Facies terræ, idest, dignitas terræ, Mater Domini, Virgo MARIA rectissime accipitur, quam irrigavit Spiritus Sanctus, qui fontis et aque nomine in Evangelio significatur: ut qualis Adâ de limo terræ, talis homo ille fieret. Qui constitutus est in paradiso, ut operaretur ibi, et custodiret, id est, in voluntate Patris, ut eam impletet, atque servaret. Tu. ꝑ. Specie tuâ. p. 65.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Mathæum.

LECTIO 7. e. 6. v. 5.

In illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: cum oratis, non eritis, sicut hyprocrite:... Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Hom. 3. super missus.

Et ingressus angelus ad MARIAM: quo ingressus ad eam? Puto in secretarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli aslare orantibus, et delectari in his quos vident levare puras manus in oratione: holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. MARIE autem orationes, quantum placuerint in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad

eam tam reverenter salutavit. Tu. ꝑ. Dilexisti. p. 65.

LECTIO 8.

Nec fuit difficile Angelo per clausum ostium penetrare ad abdita Virginis, qui utique ex subtilitate substantiæ suæ hoc habet in naturâ, ut nec seris ferreis ejus arceatur ingressus, quocumque suus cum impetus ferat. Angelicis enim spiritibus parietes non obstant, sed cuncta illis visibilia cedunt, cuncta æquæ corpora, quantumlibet solida vel spissa penetrabilia sunt eis ac pervia. Tu. ꝑ. Omnis. p. 65.

LECTIO 9.

Suspiciandum igitur non est, quod apertum inveniret Angelus ostium Virginis: cui nimirum in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia: vel ne orantis perturbaret silentium, vel continentis castitas tentaretur. Clauserat itaque etiâ illâ horâ suam super se habitaculum Virgo prudentissima, sed hominibus, non Angelis. Proinde et si ad eam potuit intrare Angelus, sed nulli hominum facilis patebat accessus. Tu. ꝑ. Te Matrem. p. 5.

Ad. Benedict. ant. Intra cubiculum, et clauso ostio orabat Patrem Virgo MARIA in abscondito. Oremus. Oratio.

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, et beate MARIE patrocinis confidentes à cunctis hostibus redde securos. Per Dominum, &c.

CANON.

Ex Pio Papâ Nono.

Encycl. 2. Febr. 1849.

27. In primis noscere vel maxime cupimus, quid vos ipsi, venerabiles Fratres, pro proximitate vestra prudentiâ de Immaculata Virginis Conceptione sentiat, quid exoptetis. Tu.

Ad. Magnif. ant. Fons ascendebat de terrâ irrigans universam faciem terræ.

CANONES.

Infra Hebdomadam secundam Infantæ recitand.

FERIA II.

Ex Pio Papâ Nono.

Encycl. die 2. Febr. 1849.

28. Optamus autem vehementer, «Venerabiles Fratres» ut majore quâ fieri potest celeritate nobis significare velitis, quâ devotione erga Immaculatam Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut ejusmodi res ab apostolica sede decernatur.

Tu.

FERIA III.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. Inefabilis. 8. Decemb. 1854.

29. Sanctissima Virgo arelissimo et indisolubili vinculo cum «Christo» conjuncta, unâ cum illo et per illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans illius caput immaculato pede contrivit. Tu.

FERIA IV.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. ut supra.

30. Heva serpenti miserè obsequata et ab originali exitidî inno-centia, et illius mancipium evasit, set Beatissima Virgo originale donum jugiter augens, quin serpenti aures unquam præbuerit, illius vim potestatemque virtute divinitus acceptâ labefactavit. Tu.

FERIA V.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. ut supra.

31. Affirmarunt «Sancti Ecclesiæ Patres» Beatissimam Virginem esse pro gratiam ab omni peccati labe integram; ac liberam ab

omni contagione et corporis et animæ et intellectus, cum Deo conservatam et sempiterno federe ibi conjunctam nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce, et idcirco idoneum planè exitisse Christo habitaculum non pro habitu corporis sed pro gratià originali. Tu.

FERIA VI.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. ut supra.

32. Testati sunt «Sancti Patres... Deiparam» esse meritoque celebrari, ut illam, quæ proprium Dei opus primum existerit, ignitis maligni telis laterit, et pulchra naturâ, ac labis prorsus omnis nescia, tanquam aurora undequaque rutilans in mundum prodiverit in suâ Conceptione immaculata. Tu.

SABBATO.

Ex Pio Papâ Nono.

Const. ut supra.

33. Non enim decebat, ut illud vas electionis communibus lacseretur injurijs, quoniam plurimum à cæteris differens, naturâ communicabat non culpâ: imo prorsus decebat, ut sicut Unigenitus in cælis Patrem habuit quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita Matrem haberet in terris, que titore sanctitatis nunquam carnerit. Tu.

DOM. III. INFANT.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Genesis.

LECT. 1. c. 2. v. 8.

Plantaverat autem Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visum, et ad vescendum suave: lignum etiam vite in medio paradisi, lignumque scientiæ boni et mali. Tu.

§. Opuela. p. 65.

LECTIO 2.

Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison: ipse est qui circumit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum; et antrum terræ illius optimum est: ibi invenitur bidellium, et lapis onychimus. Tu. §. Una est. p. 65.

LECTIO 3.

Et nomeu fluvii secundi Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Ætiopiæ. Nomen verò fluminis tertii Tygris: ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus, ipse est. Euphrates. Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum. Tu. §. Revertere. p. 65.

IN II. NOCT.

Sermo. S. Petri Damiani Episcopi. In Natali Domini.

LECTIO 4.

Fluvius (ait Scriptura) egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum universam superficiem terræ, qui inde dividitur in quatuor capita. Fluvius iste Dominus meus JESUS, qui de duobus locis voluptatis egreditur, ex utero Patris, et ex utero Virginis. Undè Propheta, Dominus Deus noster fluvius gloriosus, exiliens in terram sitiientem, sed ineffabilibus differentijs longè aliter à Patre, quam à Matre egreditur, quia etsi hæc temporalis Nativitas gloriosa est, nullò gloriosior est æterna. Tu. §. Diffusa. p. 65.

LECTIO 5.

Nunc accingamus nos ad videntum, qualiter egrediatur de Virgine: quia egressio ista dulcor et affectuosior est humanæ miseræ, que intuentium pectora concutit, et irrorat oculos, et beatissimis

bus vultus amantium perfundit. Hic locum voluptatis utrum MARIE intellego, in quo cumulavit omnes delicias deliciarum Dominus, de cujus delicijs Spiritus Sanctus admiratorio sermone in amoris cantico eruciat: Quæ est ista que ascendit de deserto delicijs affluens? Tu. §. Sicut cedrus. p. 65.

LECTIO 6.

Ex hoc voluptatis loco egreditur humanitate, quia vestitus cilicio nostræ mortalitatis visibilis humanis oculis apparuit. De Virgine virginam, de libro autem generationis lineam faciens; divinitatis hamum invexit, quem carne operuit virginali, ut draco magnus illectus ad carnem, ferrum divini numinis subsentiret. Egreditur et cum novitate, quia nunquam sic natus est homo, sicut nascitur. Solus iste de Virgine nascitur, et Virginis uterum novo et singulari partu divinitas humanata sigillat. Tu. §. Specie tuâ. p. 65.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECT. 7. c. 7. v. 6.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Et reliqua.

Homilia Sancti Thomæ Episcopi Valentini.

Concion. in Præsentat. B. M. V.

Non dabitur sanctum hoc canibus, neque pretiosa margarita nostra porcis. Sicut enim scianibus dederis sanctum, aut porcis margaritam, nec sanctum canes sanctificat, nec sanctum porci sanctificat, nec margaritæ nutriunt porcos. Sed è contra canes coinquinant sanctum, et porci margaritas sordidant vel confringunt: ita si hominibus

caninos vel porcinos mores habitibus sanctum dederis, vel margaritas porrexeris, id est, mysteria secreta de Deo simul et homine, de Matre pariter ac Virgine credenda, et veneranda, nec sanctum illud sanctificat, nec margarita ipsos oblectant; sed è contra ipsi sanctum istud coinquinant, margaritam nostram pessumdant, mysteria veritatis blasphemant. Tu. §. Dilixisti. p. 65.

LECTIO 8.

Sanctum est corpus Christi, propterea illis solis dandum est, qui capaces facti sunt. Item ejusdem Christi Domini Mater margarita est, quia sicut margarita incluse choelæ posite sunt in profundum maris, sic virginitatis simul et maternitatis involuta et altissima mysteria fidei sunt. Sicut omnis homo non potest se mergere, et de profundo tollere margaritas, nisi in arte peritus; sic non omnis homo potest descendere in altitudinem sacrorum mysteriorum, et invenire absconditas margaritas, sed fidei catholicam vitæ et moribus edoctus tantum. Tu. §. Omnis glor.

LECTIO 9.

Canes sunt omnes gentiles vel hæretici inapprobables, latrantes plurimum adversus Matrem Dei, latrantes aliquando adversus Deum blasphemis. Porci autem sunt Christiani, qui in carnalibus delicijs delectantur, nec aspiciunt aliquando celos, nec quaerunt Deum, ejusque sacratissimam Matrem venerant. Sed nunquid non dabitur margaritam nostram adinvenire, et inventa potiri? Utique invenitur ab iis, qui non tentant eam, et apparet eis, qui fidem habent in illâ. Tu. Te Matr. p. 5.

Ad Benedict. ant. Nolite margaritam nostram mittere ante

Oremus. *Oratio.*
Obtineat nobis, Domine, sanctissimæ Genitricis tuæ intercessio gloriosa intimum charitatis affectum, ut te toto corde, et toto affectu semper diligamus. Qui vivis.

CANON

Ex Pio Papâ Nono.

Const. ut supra.

34. Dei param sæpissimè «Patres» compellarunt Immaculatam, omnique ex parte immaculatam, innocentem et innocentissimam, illibatam, undequaque illibatam, Sanctam, et ab omni peccati sordè alienissimam, totam puram, totam intemeratam. Tu.

Ad Magnif. *Ant. Fluvius* egrediebatur de loco voluptatis.

CANONES.

Infra Hebdomadam tertiam Infantie recitandi.

3. De Feste Conceptionis.

FERIA II.

De antiquæ Ecclesiæ Ritibus. *Martene Tom. 4. libr. 4. c. 2. n. XV. pag. 187. — Ad an. 660.*

35. Festum diei Conceptionis Sanctæ MARLE, quo scilicet ipsa concepta est, Sanctus Hildephonus celebrari constituit, et ejus constitutione per totam Hispaniam solemniter colitur sexto Idus Decembris. Tu.

FERIA III.

Ex Ervigio Visigothorum Rege. *Libr. 12. Visigot. leg. tit. 6. Mart. ut supra an. 684.*

36. Festum Sanctissimæ Virginis MARLE, quo gloriosa Conceptio ejusdem Genitricis Domini celebratur. Tu.

FERIA IV.

Ex Concilio Londinensi. *Ann. 1328. Cap. 1. tit. 2. — Labb. Tom. 7. col. 1338. S. Aselm. flor. an. 1060.*

Dom. IV. Infantie.

37. Venerabilis Anselmus, prædecessor noster post alia quedam ipsius antiquiora solemnia, Conceptionis «Beatæ MARLE Virginis» sollempne superaddere dignum duxit. Tu.

FERIA V.

Ex Statuto Alonis Prioris Sancti Petri de Regulâ.

An. 1154. Martene de antiq. Eccl. Ritib. Tom. 4. p. 187.

38. Statuimus, ut festum de Beatæ Dei Genitricis MARLE Conceptione, quod jam ferè per totam Galliam devotissimè ab omni christiano percelebratur populo, hoc et à fratribus nostris, et totâ plebe venerabiliter deinceps celebretur. Tu.

FERIA VI.

Ex Statutis Synodalibus Ecclesiæ Cænonianensis.

An. 1247. — Martene de Vet. Scriptur. T. 7. col. 1403.

39. Dies Beatæ Virginis feriandi per annum in Diœcesi Cænonianensi, Purificatio, Annuntiatio, Visitatio, Assumptio, Conceptio.

SABBATO.

Ex Statuto Monasterii Sancti Theodori propè Remos.

An. 1296. Marten. De ant. Eccl. Ritib. Tom. 4. p. 188.

40. Statuimus, et etiâ inter nos unanimiter ordinamus, ut festivitas Conceptionis gloriosæ Virginis MARLE, fiat ex nunc singulis annis in nostro Monasterio, et in perpetuum celebretur, prout constitutum est, festivitatem ipsius Dei Genitricis in dicto Monasterio celebrari. Tu.

DOM. IV. INFANT.

Semiduplex.

IN I. NOCTE.

De libro Genesis.

Lect. 1. c. 6. v. 13.

Dom. IV. Infantie.

Dixit «Dominus» ad Noe: finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, et ego disperdam eos cum terrâ. Fac tibi arcam de lignis lavigatis: mansuetas in arçâ facies, et bitumine lines intrinsecus et extrinsecus. Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in quâ spiritus vitæ est subter cælum: universa, quæ in terrâ sunt, consummentur. Tu. v. O puella.

LECTIO 2.

Ponamque fœdus meum tecum: et ingredieris arcam tu, et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animalibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum, masculini sexus et feminini. Fecit igitur Noe omnia, quæ præceperat illi Deus. Tu. v. Una. p. 65.

LECTIO 2.

Ponamque fœdus meum tecum: et ingredieris arcam tu, et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animalibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum, masculini sexus et feminini. Fecit igitur Noe omnia, quæ præceperat illi Deus. Tu. v. Una. p. 65.

LECTIO 3. c. 7. v. 7.

Et ingressus est Noe, et filii ejus, uxor ejus, et uxores filiorum ejus cum eo in arcam, propter aquas diluvii... Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram: et multiplicatæ sunt aquæ, et elevarunt arcam in sublime è terrâ. Vehementer enim inundaverunt, et omnia repleverunt in superficie terræ: porro arca ferebatur super aquas. Tu. v. Revertere. p. 65.

IN II NOCT.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis. *Serm. de B. Maria, inter ejus opera.*

LECTIO 4.

Arças duas fuisse, legimus in veteri testamento, unam arcam diluvii, alteram testamenti. In novo quidem testamento tres fuerunt alia. Prima arca est Ecclesiæ, secunda gratiæ, tertia sapientiæ: arca Noe significavit arcam gratiæ, arca fœderis arcam Ecclesiæ, arca fœderis arcam gratiæ, sapientiam scilicet MARLE. Per

sapientiæ arcam intelligimus humanitatem JESU-Christi sanctissimam. Tu. v. Diffusa. p. 65.

LECTIO 5.

Arca etiam Noe significavit arcam gratiæ, excellentiam scilicet MARLE. Sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium, sic per istam peccati naufragium. Ilam Noe, ut diluvium, evaderet fabricavit: istam Christus, qui est pax nostra, et requies, ut humanum genus relimeret, sibi preparavit. Tu. v. Sicut cedrus. p. 65.

LECTIO 6.

Per illam octo animæ tantum salvantur: per istam omnes ad æternam vitam, quæ per æoniarum numerum significata est, vocantur. Per illam pancorum facta est liberatio: per istam humani generis salvatio. Illa centum annorum fabricata est spatium: in istâ omnium virtutum fuit perfectio. Illa facta est de lignis lavigatis: ista de virtutibus adificata est consummata, illa supererebatur aquas diluvii: ista non sensit naufragia ullius vitii. Tu. v. Specie tuâ. p. 65.

IN III NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 14. v. 11.

In illo tempore: dixit JESUS Pharisæis: omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. El reliqua.

Honilia S. Bernardini Senensis.

In assumpt. B. V. artic. 2 c. 2.

Vide igitur, quomodò in Virgine benedictâ ipsius humilitas, et divina bonitas quoddam piâ oppositione contendunt. MARIA se humiliat, et Deus eum exaltat. MARIA non solum se humiliat, sed in humilitate sub omni rationali creaturâ se abissat: et Deus eam

non solum exaltat, sed super omnem etiam angelicam creaturam magnificat. Tu. *ff. Dilexisti. p. 65.*
LECTIO 8.

MARIA Dominum in animâ magnificent, et sublimis Deus eam, ut suam reverendissimam Matrem reverenter adorat, et ad eam honorem inestimabili corporaliter se inclinat. O stupendum prodigium, et inaudite altitudinis fastigium, ut à muliere Dei Filius quodammodo recognoscere videatur suum esse humanum! Quid non debuit Virgini concedere, quam tantum voluit honorare! Tu. *ff. Omnis gloria. p. 65.*

LECTIO 9.

Profecto isto respectu honoris non respiceret Dei Filius millesies mille milia Seraphim, et infinities infinitos; sed nec ipsi insimul omnes possent verè Deum diligere, et verè ipso frui, ut filio uteri sui, sicut fecit Virgo et Mater. Hoc siquidem summo gradu inter puræ creaturæ gradus, omnes summi Seraphici in Virgine sublimantur, qui in quantum sunt idem, quod Virgo ipsa et per ipsam diligit, et fructur Dei Filio, ut ipsorum filio naturali, et inestimabili Dei dilectione facio filio creturæ. Tu. *Te Matrem. p. 5.*

*Ad. Benedic. ant. Deposuit potentes * de sede, et ancillam humilem exaltavit Deus.*

Oremus.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut semper beatissimam Virginem **MARIAM** invocantes, voluntatem tuam, et dictis exequamur et facis. Per Dominum, &c.

CANON.

Ex Statutis Synodaliibus Ecclesiæ Cameracensis.

An. 1310.—*Martene de ant. Scrip-*

torib. T. 7. col. 1341.

41. Statuimus, et omnibus subditis nostris Ecclesiasticis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, in iungentes, ut, cum apud eam exuberare debeat devotio fidelium, quæ nostra est apud Deum Mediatrix, et Impetratrix promptissima gratiarum, Festum Conceptionis gloriosissimæ Virginis **MARLE**, octavo die mensis Decembris cum Matutinis et Missâ, cæterisque divinis obsequiis devotè celebretur. Tu.

*Ad. Magnif. ant. Arca Deifera * elevabatur in sublime, et ferebatur super aquas. Per ipsam naufragium evasimus.*

CAN. NES.

Infra Hedomadam quartam Infantie recitanda.

FERIA II.

Ex Statutis Synodaliibus Ecclesiæ Cameracensis. *Ut supra.*

42. Præcipimus dictum «Conceptionis gloriosissimæ Virginis» Festum, tanquam festivum et solemne, sub poenâ excommunicationis reverenter observari ab omnibus christianis. Tu.

FERIA III.

Ex Concilio Londinensi. *Ann. 1328. Capit. 1. lit. 2.—Lab. Concil. T. 7. col. 1336.*

43. Statuimus et firmiter præcipiendo mandamus, quatenus festum Conceptionis Beatæ Virginis in cunctis Ecclesiis nostræ Cantuariensis Provinciæ festivè et solemniter de cætero celebretur. Tu.

FERIA IV.

Ex Statuto Synodali Ecclesiæ Suesonensis.

An. 1331. n. 22. de festu. Mart. Tom. 9. col. 1355.

44. In Decembri Festum Conceptionis Beatæ **MARLE**, Virginis servatur, sed non à carrucis. Tu.

FERIA V.

Ex Theodorico Abbate Corbeiensi.

An. 1357.—Martene de Veterib.

Scriptor. T. 1. col. 1471.

45. Diem Conceptionis sacratissimæ magnificentissimis honoribus prosequi cupientes, pio affectu duximus statuendum, quod prædicta ineffabilis sanctificationis dies ab omnibus nostris subjectis Monasteriis et Ecclesiis in septem candelis et cappis, et aliis solemnibus ad hoc concurrentibus singulis annis celebretur. Tu.

FERIA VI.

Ex Joanne Primo, Aragoniæ Rege. *Decret. Dat. Valentie, ann. 1394.*

46. Disponimus et jubemus per omnia regna nostra et terras «Festum Conceptionis Beatæ Virginis» annuatim cum reverentiâ maximâ celebrari perpetuò ab universis et singulis fidelibus orthodoxis, tam religionis et clericis, quam laicis infimis, atque mediis, et supremis.... Tu.

SABBATO.

Ex Sixto Papâ Quarto.

Const. Cum præcels. 1 Mart. 1476.

Concil. T. 34. p. 26.

47. Dignum... debitum reputamus, universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo (.....) de ipsius immaculatæ Virginis mirâ conceptione gratias et laudes referant, et institutas propterea in Ecclesiâ Dei Missas, et alia divina officia dicant, et illis intersint, indulgentiis et peccatorum remissionibus invitare... Tu.

DOM. V. INFANT.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Genesis.

LECTIO 1. c. 28. v. 1.

Vocavit Isaac Jacob, et benedixit eum, præcepitque ei, dicens: noli accipere conjugem de genere Cha-

naan. Sed vade, et proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel patris matris tuæ, et accipe tibi idem uxorem de filiabus Laban avunculi tui... Igitur egressus Jacob de Bersabe pergebat Haran. Cumque venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, et superponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Tu. *ff. O puella. p. 63.*

LECTIO 2.

Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes, et descendentes per eam, et Dominum innoxim scalam dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: terram in quâ dormis tibi dabo, et semini tuo: erique semen tuum, quasi pulvis terræ, et benedicentur in te, et in semine tuo emictae tribus terræ. Tu. *ff. Una est. p. 65.*

LECTIO 3.

Cumque evigilasset Jacob de somno, ait: verè Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque. Quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cæli! Surgens ergo Jacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. Tu. *ff. Revertere. p. 65.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Bonaventuræ Episcopi. *De Ecclesiastica Hierarch. p. 1. c. 7.*

LECTIO 4.

Quia in altissimis et inauditis Dei consiliis semper mansit Beata Virgo, et aliquid præter cælestia inter mundi prospera non curavit, ideo significatur in Genesi per scalam, quam vidit Jacob, cuius cacumen tangebatur cælum, et Dominus in-

nixus scalæ. Scala cælica, per quam patet ascensus ad æterna est MARIA, quæ à Jacob est visa in somnis, quia MARLE presentia prævisa est multipliciter à Prophetis. Tu. ꝑ. Diffusa. p. 65.

LECTIO 5.

Latera hujus scalæ sunt tribus duæ, scilicet sacerdotalis et regalis, ex quibus MARIA contraxit originem secundum carnem. Gradus interscalares sunt ejus privilegia et dignitates singulares: hujus scalæ cacumen in Deo est, et ei conjungitur per eælestem conversationem, sicut dicitur in Apocalipsi: signum magnum apparuit in celo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Tu. ꝑ. Sicut cedr. p. 63.

LECTIO 6.

De istâ inherenter cum celo dicit Bernardus: O Virgo Virginum! virga sublimis, in quâ tuum sanctum verticem erigis usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis. Nec id quidem mirum est, quia mittis in altum radices humilitatis. Per hanc scalam descendit Angelus magni consilii, ut nostram assumeret inimitatem. Per hanc etiã scalam angeli ascendunt: qui angelicam vitam ducunt. Tu. ꝑ. Specie tuâ. p. 63.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 1. c. 5. v. 14.

In illo tempore: dixit JESUS discipulis suis: Non potest abscondi civitas supra montem posita. Et reliqua.

Homilia Beati Alberti Magni Episcopi.

In Biblia Mariana.

Non potest civitas abscondi, idest, MARIA celari supra montem po-

sita, scilicet virtutum et gratiarum. Neque accendunt, scilicet Pater et Filius et Spiritus Sanctus, lucernam, id est, MARIAM, quæ accensam fuit in die Incarnationis; et ponunt eam sub modio, sicut faciunt ipsam inonorantes, sed super candlelabrum, id est, Ecclesiam, ut luceat indifferenter omnibus qui in domo sunt, id est, in Ecclesiâ, vel in mundo. Tu. ꝑ. Dilexisti. p. 63.

LECTIO 8.

Si offers munus tuum ante altare, id est, ad MARIAM, vade prius reconciliari fratri tuo, id est, JESU Christo. Qui petit à te, ô MARIA, instanter, da ei. Glossa: quæ honeste et justè dari possunt, et volenti mutuari à te, quæ ditissima es, ne avertaris. Tu. ꝑ. Omnis gloria. p. 63.

LECTIO 9.

Solem suum, id est, Virginem MARIAM oriri facit per nativitatem in mundo, per gratiam in mente, super bonos, ut confirmetur, consolentur et illuminentur: et super malos, ut convertantur, et salventur. Et pluit super justos et injustos, sed aliter. Tu. Te Matrem.

Ad Benedict. Ant. Lucerna ardens et lucens, Virgo MARIA, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

Oremus. Oratio.

Concede nos, quesumus Deus, beatissimæ Virginis MARLE, exempla seclari, ut per terrestrium rerum contemptum, ipsius adjutorio æterna gaudia capiamus. Per Dominum.

CANON

Ex Statuto Ecclesiæ Gerundensis. Die 23. Oct. 1591.—Espan. Sagrad. Tom. 44. pag. 327.

48. Considerantes, quod in Gerundensi Ecclesiâ nulla fiat festivitas de Conceptione seu Sancti-

ficatione Beate MARLE Virginis, quæ intitulatur sexto idus Decembris... dignum reputaverunt, atque justum de dictâ Conceptione seu Sanctificatione festari in Ecclesiâ supradictâ. Tu.

Ad Magnific. Ant. Scala Jacobæ ejus cacumen cælos tangebatur, Virgo divina.

CANONES

Infra Hebdomadam 5. Infantie recitandi.

FERIA II.

Ex Urbano Papâ Octavo. Const. 388. Sanctæ et immacul. ant. 1631.—Bul. Rom. T. 6. p. 1 p. 295.

49. In Ecclesiâ Sancti Jacobi Hispanorum de urbe festum Conceptionis Beate MARLE Virginis, etiam ipsâ secundâ Dominicâ adventus, cum in illam incidit, sub ritu duplici primæ classis celebrari concedimus. Tu.

FERIA III

Ex Innocentio Papâ Decimo. Const. 3. In his. an. 1644. Tom. 6. Bull. ꝑ. p. 3 p. 4.

50. Quoad festum Conceptionis Deiparæ Virginis in Regnis Hispaniarum tantum, obstaculum Constitutionis Urbani Octavi, in quâ non ponitur inter festa de præcepto Festum Conceptionis Beate Virginis, et tollitur contraria consuetudines, apostolicæ auctoritate tenore præsentium removemus. Tu.

FERIA IV

Ex Alexandro Papâ Septimo. Const. 136. In his. an. 1657.—Bull. R. Tom. 6. p. 4. pag. 183.

51. Quoad Festum Conceptionis Deiparæ Virginis in regno Galiarum, obstaculum Constitutionis Urbani Octavi in quâ non ponitur inter festa de præcepto fes-

tum Conceptionis Beate Virginis, apostolicæ auctoritate tenore præsentium removemus. Tu.

FERIA V.

Ex Clemente Papâ Undecimo. Const. 120. Commissi nob. an. 1708.—B. R. Tom. 10. p. 1. pag. 206.

52. Festum Conceptionis Beate MARLE Virginis Immaculate ubique; terrarum in posterum ab omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus sicut alia festa de præcepto observationis Festorum comprehendit, auctoritate apostolicâ tenore præsentium decernimus, præcipimus et mandamus. Tu.

FERIA VI.

Ex Benedicto Papâ Decimoquarto. Allocut. 26. Nov. 1742.—Bull. Bened. XIV. tom. 2.

53. Singulis quibuscumque annis fieri mandamus ac præcipimus, ut capella Pontificia in Liberianâ Basilicâ in festo Conceptionis Virginis Immaculate, in honorem ejusdem, quotannis celebranda cæteris annumeretur. Tu.

SABBATO.

Ex Decreto Sacror. Rituum Congregationis.—10. Dec. 1843. Ordin. Prædicator.

54. Gregorius Decimus Sextus Ordini Prædicatorum concessit indultum deinceps juxta proprium ritum Festum Conceptionis Deiparæ celebrandi cum octavâ solemnî, prout celebrantur festa Annuntiationis, Assumptionis, ac Sacratissimi Rosarii. Tu.

DOMIN. VI. INFANT.

Semiduplex.

IN I. NOCT.

De libro Exodi.

Lect. 1. c. 3. v. 1.

Moses autem pascebat oves Jethro socii sui Sacerdotis Madian.